



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

Versvs IV. Æternam qui vitam sapit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

copiosius te infundis, quo subtilior es. Iam animæ meæ vasculum, propter attractum tuum, simplex est, purum, tuique capax. *O igitur attractus delicate!* in quo cum nihil materiale percipiatur, eò tamen amplius profundiusque tangis animã, ex humana mutando eam in diuinam; quo diuinum tuum esse, quo illã tangis, ab omni modo magis est alienum, & ab omni formarum figurarumque cortice liberum & expeditum. O ergo postremò *Attractus delicate & nimis delicate*, quandoquidem simplicissima purissimaque essentia tua (quæ quoniam infinita est, infinite est subtilis & delicata) tangis animã. Et propterea subiungitur. *Aeternam qui vitam sapit.*

## VERSUS IV.

*Aeternam qui vitam sapit.*

Quamuis non in gradu perfecto & consummato; tandem tamen, est quædam æternæ vitæ prælibatio & sapor (quemadmodum superius dictum est) qui in isto Dei attractu degustatur. Nec rem hanc ita se habere, incredibile est: credendo (sicuti credendum est) *Attractum* istum substantialissimum esse, substantiamque diuinam animæ tangere substantiam ad quem attractum multi sancti in hac vita perueniunt. Vnde delectationis suauitatisque, quæ in attractu isto præcipitur subtilitas nequit verbis explicari: nec ego de ea verba facere vellem, ne existimeretur, nil eam amplius esse, quam id quod verbis effertur: sed neque suppetunt verba, ad res diuinas adeo sublimes, cuiusmodi sunt, quas istæ animæ experiuntur, dilucidandas & nominandas: quarum proprium idioma est, ut ille qui eas percipit, sibi

*Multi sancti ad attractum istum diuinum in hac vita perueniunt.*

ipsas intelligat, sentiat, ijs fruatur, & sentio inuoluatur. Optime siquidem in hoc statu animaduertit anima, huiusmodi res quodammodo esse instar calculi illius, quem S. Ioannes vincenti dandum dixit: *Vincenti habeo calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.* Vnde hoc solum in veritate dici potest: *Aeternam qui vitam sapit.* Eri enim attractu isto in hac vita non ea, qua in sempiterna gloria fruamur perfectione; nihilominus tamè attractus iste, cum ipsius Dei sit, æternam sapit redoletque vitam. Atque ita admirabili quodam modo & participatio, ne, vniuersas res diuinas degustat, comunicaturque; illi fortitudo, sapientia & amor, pulchritudo, gratia & bonitas. Cum enim Deus sit hæc omnia, in vno solo ipse attractu, eminenti quodam modo cuncta hæc degustat. Et ex isto animæ bono non nihil interdum vnctionis spiritus in corpus deriuatur, videturque ossa ipsa penetrare, secundum illud quod David ait: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Et quoniam, quidquid hac de re dici potest minus est, sat est dicere *Aeternam qui vitam sapit.*

## VERSUS V.

*Et omne debitum exoluit.*

Necesse est hoc loco explicare, quæ sint debita ista, quæ sibi in hoc statu exoluta sentit anima? Et sciendum est, animas quæ ad Regnum istud perueniunt, multos ut plurimum labores & afflictionesque superasse: nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum celorum, quæ iam in hoc statu præterierunt.

Illi porro qui ad vnionem diuinam perueniunt